



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1713**

Q. 18. Quid notandum sit circa Sacerdotem, qui ex voto tenetur ad Missam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42624**

Missæ intendebantur principaliter ob splendorem & cultum loci, erit interim liber ab onere Missarum. E contrà si principaliter intendebatur Missa ipsa, ad hanc tenebitur in alio templo.  
*Aversa* s. 18. in fine.

**161.** §. 4. Si Sacerdos teneatur, v. g. ter de septimanā legere, potest hac septimanā anticipare pro sequente, nisi aliud colligatur ex verbis, vel fiat in præjudicium alienum, uti si Missæ essent constitutæ pro commoditate audientium aut pro necessitate successivè morientium; tum enim anticipari non possent, *P. Nav. Bon. Lugo* & alii cum *Aversa* §. *septimō*.

**162.** Q. 18. *Quid notandum sit circa Sacerdotem, qui ex voto tenetur ad Missam.* R. §. 1. Qui votum legere Missam, v. g. in gratiarum actionem, quia sanatus est, non potest pro tali Missa acceptare stipendum, quia intentio voventis præsumitur esse, quod velit Deo dare Missam non aliunde debitam ex justitia, *Pasq. q. 875. & 954.*

**163.** §. 2. Si quis sibi reservasset applicationem fructus Missæ, quam votisset, docet *Pasq.* posse quidem hunc gratis applicare, cui volet, sed non ideo posse acceptare stipendum, quia videtur fructum illum vendere: Contradicit *Tamb.* quia non ideo vendit, sed pro ejus applicatione acceptat stipendum, uti pro tota Missa acceptare posset.

**164.** §. 3. Probabile est votum etiam unius Missæ obligare sub mortali, quia materia hujus voti, quæ negligitur, est gravis, cum sit oblatio Sacrificii infiniti Deo debiti, cultus Religionis perfectissimus Deo debitus, actio præcipua, per quam homo uniri potest Deo &c. *Pasq. q. 871.*

§. 4. Votum Missæ tūm tantūm est perso- 165:  
nale & impleri debet à vovente ipso , quando  
promittitur propria actio voventis , ut si vo-  
veat ex motivo , ut ipsem colat Deum , si au-  
tem voverit ex alio fine , qui per quodcumque  
Sacrificium obtineri potest , erit votum reale ,  
licet promiserit se celebraturum , & poterit im-  
pleri per aliuni . Quod si nequeat se reflectere ,  
an cogitārit de propria actione , censi debet  
votum personale , quia si celebrationi non sit  
appositus finis extrinsecus , votum sistit in actio-  
ne propria , Pajq. q. 872 .

§. 5. Potest per unam eandemque Missam 166.  
satisfieri , imprimis voto & promissioni , si pro-  
mittens respexit ad fructum ; nam ratione voti  
non debetur fructus ; non tamen poterit , si pe-  
tita sit Missa pro gratiarum actione vel cultu  
divino . Deinde dupli voto , si unum illorum  
respiciat tantūm Dei cultum , alterum tantūm  
fructum , ut semper est , quando vovetur pro  
animabus : Unde si tertio vovissem Missam ra-  
tione tantūm impetrationis alicujus beneficii ,  
inō & quarto pro impetranda remissione pec-  
catorum , putat Pajq. q. 875 . me per unam &  
eandem Missam quatuor votis satisfacturum :  
dicitque hoc valere , sive vota ab uno , sive à plu-  
ribus sint emissā : sed notanda sunt dicta l. 3 . p.  
2 . n. 775 . , & spectanda est intentio voventis .  
Hoc certum est , si utrumque votum eundem  
finem respiciat , non satisfieri utrique per unam  
Missam .

Q. 19. Quant a sit obligatio ad Missas , quas Epi- 167,  
scopus in ordinatione injungit Presbyteris , & quan-  
do hi primam Missam legere teneantur . R. Utrum-  
que resolvetur quando de Sacramento Ordinis .